



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 82. Joannes Sigismundus Transylvaniæ Princeps huic errori favens.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

§, LXXXII.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1562.

*Joannes Sigismundus Transylvaniæ  
Princeps huic errori  
favens.*

Huic sectæ etiam nonnulli Principes favebant, ac præcipue in Transylvania eadem hæresis potentissimos fautores, ac Defensores sibi conciliabat, imo etiam in ipso Principis folio validissimum Patronum repererat; inde vero funesto prorsus exemplo comprobata reddebatur hominis imbecillitas, atque ignorantix caligo, quæ post hominis lapsum potissimis adeo propria est. Porro Joannes Sigismundus Transylvaniæ Princeps præ ceteris primus hujus erroris propagationi auxiliatrices præbebat manus; avidis enim auribus hosce Magistros recens natos excipiebat, ac etsi illi rejecta Majorum suorum traditione nonnisi privatis suis opinionibus abundarent, nihilominus hic Princeps venenum ab eis propinatum ipse liberaliter hauriebat, illudque suis subditis postea subministrabat: postquam igitur se Romanæ Ecclesiæ hostem declaraverat, debitam eidem submissionem deferre recusabat, quam tamen Viris nullo honore conspicuis, ac nequidem ad Verbi ministerium vocatis exhibere haud dubitabat, quamvis eidem

B b b 4

nil

Sæcul XVI.  
A. C. 1562.

nil nisi luxuriantes ingenii sui abortus, atque suarum opinionum impietates vicissim rependerent: quapropter hæresis hujus Principis auctoritate suffulta brevi totius ferme Transylvaniæ faciem immutabat, quin tamen hic Princeps se ei opponeret, imo potius etiam ad propagandam hujus sectæ lucem potentiam, viresque suas impendebat. Verum ad quam profundas abyssi obcæcatus hic Princeps iniquissimo fato suo præceps agebatur? in quas demum calamitates ipsemet pronus sponte ruebat? nam quicquid ferme agebat, totum in Novatorum, suorumque dogmatum quantumvis impiorum favorem dicabat, ac neminem præter illos sua dignabatur benevolentia, nec in alios suam effundebat indignationem, nisi in illos, quibus ad Maiorum suorum depositum strenue conservandum animus non deerat.

Quænam vero hic Princeps consilium animo suo volutaret, & quid deum in veritatis patrocinium ab eo sperari posset, sat luculenter patebat ex literis, quas ad Wittembergensem & Lipsiensem Universitates dabat. Hæc tum exarrabat nata occasione ex quadam controversia, quæ inter Lutheri & Calvinii asseclas circa Domini Cœnam in ejus ditone suscitabatur: equidem  
tam

Sæcul. XVI.  
A. C. 1562.

tam Lutherani, quam Calvinistæ, præfatas Universitates tanquam litis suæ arbitros seligebant, ac ipsemet Sigismundus ad omnia, quæ ab eo petebantur, cæca voluntate pronus, non modo hosce iudices seligi concessit, sed etiam in ea epistola, in qua horum Theologorum sententiam expetebat, illos infana temeritate infallibiles fidei arbitros appellare, illisque populi Religionem immutandi jus adscribere non dubitabat, (\*) quo facto piam animorum voluntatem, sanas doctrinas a juventute cum materno lacte haustas, Ecclesiæ disciplinam, Conciliorum auctoritatem, Sanctorum Patrum, ac summorum Pontificum leges evertendi potestatem cæcis ejusmodi Ductoribus tradebat. Hæc agendi ratio, quam Transylvaniæ Princeps tenebat, prima fuit epocha, a qua circa Religionem in hoc Principe animi perversitas, mentisque depravatio computanda venit.

Ceterum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo secundo ambæ hæ Universitates sua responsa dabant, quarum tamen

B b b 5 neutra

(\*) En! ad quam abjectam demissionem Novatores in suis fidei dissidiis rejecto iudice per Christum Dominum constituto recurrere cogantur.

Sæcul. XVI  
A C. 1562.

neutra Zwinglii, aut Calvinii opiniones adoptabat, sed potius confessioni Augustanæ infisteat: priusquam vero illarum decisio in Transylvaniam delata erat, Davidius huic confessioni olim addictissimus, qui & hujus controversiæ Auctor extitit, mutata animi sententia Tigurinæ confessioni nomen dedit: postea Calvinistarum nonnulli, qui sese in Sigismundi aulam insinuabant, tam insano furore contra Lutheranorum dogmata, ritusque declamabant, ac Genevensium, & Tigurinorum doctrinam tantopere extollebant, ut Princeps, qui antea Lutheri venenum avide hauserat, nunc concepta hujus erroris nausea adulterinam Calvinistarum, & sacramentarium reformationem amplecteretur.

§. LXXXIII.

*Sociniani variis nominibus insignes.*

*Lubienieski  
hist. Ref.  
Eccles. Pol.*

Interea Socini hæresis altiores indies radices in Polonia agebat: cum autem Catholici, Lutherani & Calvinistæ Sanctissimæ Trinitatis, ac Divinitatis Christi mysteria novis hisce erroribus impugnari cernerent, hinc Socinianis varia imponebant nomina; quippe I. *Trinitarios* vocabant illos, qui tres substantias, non autem tres Personas in Trinitate admittentes affirmabant, re ipsa